



~~Litt.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

11-58.

SIGNAT. ~~ccccccc~~ CCCXIII.

DECANUS
COLLEGII THEOLOGICI IN ACA-
DEMIA VVITTEBERGENSI
JOHANNES ANDREAS
QVENSTEDT,
SS. THEOL. D. PROF. PUBL. ET ELE-
CTORALIUM ALUMNORUM
EPHORUS.

Lecturis Salutem in Domino JESU!

WITTEBERGÆ,
Literis DANIELIS SCHMID/ Academ. Typ.

32

Nihil est in hac vitâ & maximè hoc tempore
facilius & letius & hominibus acceptabilibus Episcopi aut
Presbyteri aut Diaconi officio, si perfunctorie atq; adulatoriæ
res agatur, sed nihil apud Deum (vel in judicio divino) mi-
serius & tristius & damnabilis, item, nihil in hac vitâ &
maximè hoc tempore difficultius, laboriosius, periculosius Epi-
scopi aut Presbyteri aut Diaconi officio, sed apud Deum ni-
hil beatius, si eo modo militetur, qvo noster Imperator ju-
bet, ait Augustinus, Hippomensium Præsul in Epistol. ad Valerium Episcop. quæ
est CXLVIII. Tom. II. Oper fol. 686. *Episcopi munus etiam Angelicis humeris*
tremendum esse, statuit Bernhardus, Claravallensis Abbas serm. 2. de ascens. Ma-
jor est Episcopatus provincia, qvam qvæ viribus nostris sustineri possit, dixit Valen-
tinianus Imper. in Electione cujusdam Episcopi vel Ecclesiæ ministri, referente
Theodoreto lib. IV. E. H. c. 5. Gregorius M. lib. I. Pastoral. in Proleg. inquit;
Regimen animarum est ars artium, i.e. difficillima omnium cura. Non enim
pro omnibus solùm auditorum animabus reddenda erit ratio, in magno illo
Censorio die, sed etiam pro singulis. *Obedite Præpositis vestris & subjecete*
eis, ipsi enim pervagilant pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri.
Hebr. XIII. 17. Qvam charus Deo Christi sangvis, tam chara qvoq; Deo est
Ecclesia, qvam sanguine suo acquisivit, Acto. XX. 28. Propterea etiam sanguinem
pereuntium à manu Ministri DEUS tam severè requirit Ezech. III. 18. Cum
itaq; munus Ecclesiasticum sit grave, difficile, arduum, & planè periculosum,
non qvælibet ætas ei apta est atq; sufficiens, sed necesse est, ut viris, non tan-
tum gravibus, sanctis & doctis, sed & maturâ ac reverendâ in ætate constitu-
tis idipsum demandetur & committatur. In Veteri qvidem Fœdere de Sum-
mi, aliorumq; Sacerdotum, & Prophetarum ætate nihil definitum reperimus.
Apud Josephum lib. IV. Antiqvit. Judaicar. cap. 2. legimus, *Corem Moyſi se op-*
posuisse, & aetat̄ prærogativā contra Aarōnem & ejus filios in sacerdotio pro-
moveri & illis præferri concupisse. Certè Samuel adhuc puer ad munus Pro-
pheticum à DEO evocatus universo Israeli Verbum Domini annunciat, I. Sam.
III. II. seq. Et Jeremias, cum à DEO vocaretur, prophetandi provinciam depre-
cabatur, excusans se, qvod *ad huc puer*, & ad prædicandum DEI Verbum haud
idoneus esset Jer. I. 6. sed excusanti se ob puerilem ætatem respondet DEUS; *Ne*
*dicas, puer sum, ad omnia, ad quæ mittam te, ibis, & universa, quæ præcipiam ti-
bi, loqueris.* Nec ipse Salvator noster ὁ ἀρχιπομὴν, pastorum princeps, I. Petr.
V. 4. & animarum fidelium omnium Episcopus I. Petr. II. 25. nec Apostoli ejus
usq; adeò de ætate fuere soliti, ut qves inter non solùm juvenes, sed &
adole-

Adolescentes fuille (quod de Johanne legimus) constat. Ipse quoque Timotheus juvenis fuit, nec tamen voluit Apostolus juvenilem Ejus aetatem contemni i. Tim. IV. 12. quia, ut inquit Ambrosius ad h. l. quantum ad aetatem pertinet, *juvenis erat, quantum ad mores & conversationem, senior & gravis.* Multos enim juniorum videmus, ut ait Bernhardus in Epistol. ad Theobaldum, super senes intendere moribus dies, antiquorum tempora prævenire meritis & quod deest aeti, virtutibus compensare. Hic senex est, quisquis vita integritatem, quisquis morum præstat gravitatem. *Hominum ingenia non à vetustate, ut via, sunt estimanda, sed ab ipsâ probitate & eruditione,* inquit Henr. Bullinger Com. ad h. l. Et verissima est illa Athalarici, Gothorum, Romanorumque Regis sententia; *Ætas non impedit, ubi se potentia cœlestis infundit,* apud Goldastum in Constitut. Imper. tom. III. in Constit. Athalar. Constit. 8 in pr. Hinc juvenes non raro senioribus præferuntur. Astenimvero nemo inficias, reor, ibit, rerum divinarum scientiam, sapientiam, & prudentiam, ad munus & officium Ecclesiasticum necessariam esse, hanc vero longo vita usu, multaque rerum experientia demum parari, ac proinde præter alias qualitates aetatem, quae jam adulta esse coepit, in Candidato, qui ad honores & officia Ecclesiastica adspirat, omnino requiri. Hinc in primitiva N. T. Ecclesiæ aetatis legitima accurata semper habita est ratio. Jus Canonicum triginta annis minorem ad Presbyterium eligi prohibet, ita enim Canon I. habet parte I. Decr. distinct. 78. ex Bonifacio; (alii citant ex decretis Fabiani) *Si quis triginta annos aetatis sue non impleverit, nullo modo Presbyter ordinetur, etiamsi valde sit dignus.* Canon II. distinct. eadem; *Nemo Presbyter consecretur, qui minor triginta annis sit.* *Nemo Diaconus fiat, qui minor viginti quinq; annis sit.* Canon IV. ibid. ex Concilio NeoCæsariensi. *Presbyter ante XXX. annorum aetatem non ordinetur, quamvis sit probabilis vita.* Canon, cum in cunctis Extra. de Elect. & Elect. potest. ex Concilio Lateran. *Cum in cunctis sacris Ordinibus & Ecclesiasticis ministeriis sint aetatis maturitas, gravitas morum & literarum scientia inquirenda, multò forius in Episcopo haec oportet inquiri, qui ad curam aliorum positus in seipso debet ostendere, qualiter in domo DEI oporteat conversari.* Ea propter, ne, quod de quibusdam pro necessitate temporis est factum, trahatur a posteris in exemplum, presenti decreto decernimus, ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam trigesimum aetatis annum exegerit. Imperator Justinianus non passus est ante trigesimum quintum aetatis annum fieri aliquem Episcopum, Vide Novell. 123. cap. 1. quam tamen constitutionem postea ad annos XXX. redigit, Novell. 137. cap. 2. Sed & de Presbyterorum & ceterorum Clericorum aetate ita ille constituit; *Presbyterum autem minorem 35. annos.*

missus fieri non permittimus, sed nego. Diaconum aut subdiaconum minorem 25. nego
minorem Lectorem decem & octo annorum. Carolus M. Imperator Germano-
num primus, postquam victrici gladio nomine Christi & Christianam religio-
nem in Germaniam invexit, hinc inde erectis Ecclesiis Episcopos & Sacerdo-
tes illis præfecit, viros præter singularem eruditionem & doctrinam, gravita-
te vitae & annorum atque ætatis maturitate præditos, quo de Albertus Cranzius:
in Metropol. passim legi potest. Ipse quoque in Capitulari de reformatione
Ecclesiae & disciplinae Christianae anno 789: in Comitiis Aqvisgranensibus sta-
tuto, inter alia ex Concilio NeoCæsariensi sanxit, ut nullatenus Presbyter ordi-
naretur ante XXX. ætatis sue annum, quia Dominus Jesus Christus non predica-
vit ante 30. annum, art. 50.. Qvod & Ludovicus Pius in reformatione Eccles.
anno 816. ex Isidoro repetit his verbis; *Qvod autem à triginta annis sacerdos*
efficitur, ab ætate scil. Christi sumptum est, ex quâ idem orsus est prædicare, apud
Goldastum in Constitut. Imperial. tom. III. cap. 9. Constit. Ludov. Pii.

In primis observabant Veteres, ne quis juvenis, & qui ante non fuisset
Clericus, ad diaconatū dignitatem Episcopalem eveneret, sed per
gradus quosdam ad eam ascenderet. Huicque instituto servando tam tenaci-
ter inhærebat antiqua Ecclesia, ut neminem ferè Episcoporum suorum laudet,
quem non ab imis in Ecclesiā subselliis ad suprema promoverit.

Cyprianus, totius Africæ primas & gloriosissimus Martyr ad Antonianum
lib. 4. Epist. 2. scribit; *Cornelium, charissimum Collegam nostrum DEO & Chri-
sto & Ecclesiae ejus, cunctis item Confacerdotibus laudabili prædicatione commen-
dat, quod non subito ad Episcopatum pervenit, sed per omnia Ecclesiastica officia
promotus & in divinis administrationibus Dominum sepe promeritus ad sacer-
dotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit.* Chrysostomus, to-
tius Græciæ decus, immò totius Orbis terrarum doctor, ut est apud Theodore-
num, ante Episcopatum Constantinopolitanum Antiochiæ primū ordinatus,
Lectoris officio tribus annis in Ecclesiā illā defunctus, postea in Diaconatu qvi-
que annis exercitus, & tanto deinceps tempore Presbyteratu clarus, denique ab
Arcadio Imp. Constantinopolin ad Episcopi munus accessitus fuit, ut scripto-
res vitae ejus & Tripartitæ Historiæ autor lib. X. c. 3. testantur, B. Hieronymus,
uti ipse quidem lentum in Ecclesiā gradum movit, ita Nepotiani sui Epitaphio
hoc encomium inseruit, quod *Clericus factus per SOLITOS gradus ad Presby-
terium usq; decurrerit.* S. Augustinus, summus totius Ecclesiae doctor pri-
mū à Valerio Hipponensium Episcopo Evangelium prædicare & Conciones
habere jussus est, deinde Presbyter ac tandem Antistes illius Ecclesiae factus est.
Hinc in Retractionibus suis (quas ille ferè solus scripsit,) librorum à se scri-
ptorum

ptorum catalogum illis Chronologiæ notis distinxit, ut cuivis appareret, quæ Catechumenus, quæ jam baptizatus, quæ Presbyter, quæ factus Episcopus scripsérat. Athanasium, Columnam illam Ecclesiæ contra omnes hæreticos, laudat Gregorius Nazianzenus Oratione in laudem Ejus habitâ, quæ est XXXI. inter illas, quas Leonclavius in Tomo II. Operum Basiliæ congesfit, quod non statim nec festinanter, sed per sacras vices, perque omnem graduum seriem paulatim promotus ad sacram populi præfecturam transferit. In primis illustre elogium est, quod jam dictus Gregorius Basilio, re & cognomine Magno, Casareæ Cappadocum Episcopo tribuit Oratione præced. XXX. quam in laudem ejus habuit: *Hunc, inquit, multiplex DEI beneficentia & providentia in multis ante muneribus exploratum, ac quotidie clariorem, illustrioremq; compertum in sacrum Presbyterorum ordinem adscribit, luculentamq; Ecclesiæ facem, memorabilemq; proponit, ac per unicam Casariensem Civitatem universo terrarum Orbi prælucens, in quo hanc etiam rationem tenuit, ut non repente cum ad hujusmodi gradum subvehheret, non eodem temporis momento salutari aquâ tingeret, ac sapientiâ instrueret, quod plerisq; eorum accidit, qui nunc ad præfecturas cupiditate inflammati rapiuntur.* Verum ordine ac spiritualis progressionis lege, hoc eum honore affecerit. Nec enim mibi perturbatio illa temeritasq; probatur, quæ apud nos interdum & in nonnullis primariis sedes Ecclesiæ tenentibus, oboritur (nec enim eò audaciæ progrediār, ut omnes accusem, iniqvè enim facerem) verum nauticam legem præclaram censeo, quæ gubernaturo futuro primum remos committit, deinde ad proram collocat, sicq; prioribus muneribus ipsi commissis, tandem eum, post diuturnam maris verberationem ac ventorum observationem ad gubernacula constituit. Eadem rei militaris est ratio; Miles primum, deinde Centurio, deniq; Imperator &c. Cumq; nec Medicis, nec Pictoris nomen quisquam obtineat, nisi prius morborum naturam expenderit, aut multos colores miscuerit, variasq; formæ penicillo expresserit. Antistes nonnunquam invenitur non elaboratus, sed simul satus ac proiectus, quemadm. Gigantes Poëta finxerunt &c. At non eadem Magni egregiis Basiliæ ratio fuit, quin potius, ut aliarum omnium Virtutum, sic etiam moderationis in his rebus tenendæ exemplar se prabuit. Nam cum prius SS. libros populo lexit asset, qui eorum explanator erat, nec hunc sacerdotii gradum indignum se duxisset, ita demum in Presbyterorum ac deinde in Episcoporum cathedra Dominum laudavit. Hæc Gregorius præclare.

S. Athanasi, Chrysostomi & Basili vestigia ferè omnia in prensandis honoribus Ecclesiasticis emensus est *Vir plurimum Reverendus, Amplissimus ac Clarissimus Dn. JOHANNES ACOLUTHUS, hactenus Aedis Sacrae, quæ in Inclyta Uvarislavienst Republ. summa est, Ecclesiastes & Gymnasii Elisabetani Professor*

delissimus, nunc verò vocatus Pastor supremus, Ecclesiarum & Scholarum Vratislaviensium Antistes nec non Confessorii Ecclesiastici Assessor, qvi qvidem nunquam fuit $\alpha\kappa\lambda\gamma\theta$ h.e. aliorum Ecclesiæ Ministrorum minister & pedisseqvus (*Acoluthorum* enim operâ olim utebantur Episcopi, Presbyteri & Diaconi in Litteris utrinqve misitandis, in eleemosynis ultrò citròqve perferendis, in Eucharistiâ præparandâ, ad luminaria accendenda, portandave &c.) attamen $\kappa\alpha\tau'$ $\alpha\kappa\lambda\gamma\theta$ sive per gradus qvoscdam non ad $\alpha\kappa\lambda\gamma\theta$ $\tau\eta\varsigma$ $\pi\eta\varsigma$ (qvam Aeliensi h.e. Hierosolymitano Episcopo inter Patriarchas Concilii Niceni Patres Canone VII. tribuunt, & Interpretes vel de tertio honoris gradu conseqventer & in ordine post Alexandrinum & Antiochenum Episcopos, qvi proximè præcedente Canone memorati sunt, vel de quarto post Romanum accipiunt, qvanquam CL. Salmasio hic alia mens sit, & $\alpha\kappa\lambda\gamma\theta$ $\tau\eta\varsigma$ $\pi\eta\varsigma$ de secundo honoris loco inter Provinciæ illius Episcopos post primum sive primatem h.e. Metropolitanum interpretetur in tractatu de primatu Papæ cap. VII. pag. 117.) sed ad $\pi\varrho\omega\tau\tilde{\epsilon}\sigma\varsigma$, seu *primatum & $\tau\eta\varsigma$ $\mathcal{D}\mathcal{E}\mathcal{I}\mathcal{O}\mathcal{N}\mathcal{O}\mathcal{P}$ & $\alpha\zeta\iota\alpha$* , sive *Episcopalem dignitatem* non sine singulari DEI providentiâ est enectus. Natus is est Anno æræ vulgaris c. Ic XXVIII. ad d. 5 Decembr. St. N. parentibus piissimis atq; honestissimis; Patre, *Viro Reverendo atq; Doctissimo, Dn. BARTHOLOMÆO ACOLUTHO*, Verbi divini Ministro jam emerito & exule. Matre *ANNA*, fæminâ piâ & castâ, ex antiquâ & nobili WARKOTSCHIORUM profapiâ ortâ, qvi Eum in pietate & bonis moribus domi educatum in scholam Namslaviensem anno ætatis octavo ablegarunt, ubi præceptoribus usus est fidelissimis, *Dn. Pancratio Heinio*, Scholæ Olaviensis jam Rectore & *Dn. Thomâ Sprengero*. Deinde jussu jam dictorum Parentum suorum in Gymnasium Vratislavense Elisabetanum se contulit, in quo *B. D. Weberum*, Theologum de Christianâ re præclarè meritum, *Dn. M. Eliam Majorem*, *Dn. Christophorum Colerum* & *Dn. Joh. Vecknerum*, Viros Clarissimos & Juventutis Formatores dexterimos docentes audivit. Ab horum informatione missus est in Athenæum Gedanense, ubi Lectionibus & Disputationibus Theologicis juxta ac Philosophicis cùm publicis, tûm privatis sedulò vacavit. Theologicis qvidem sub manuductione *Viri maximè Reverendi ac Excellentissimi, DN. D. ABR. CALOVII*, tûm temporis jam dicti Athenæi Directoris & ad SS. Trinitat. ibidem Pastoris fidelissimi, meritissimig., Domini Collegæ, Compatrios & in Christo Fratris mei honoratisimi, quo Præside quoq; Respondentis vices ter cum laude sustinuit, cum Theologiam Apostolicam Romanam à $\mathfrak{D}\mathfrak{l}\mathfrak{u}\mathfrak{a}\mathfrak{e}\mathfrak{j}\mathfrak{a}\mathfrak{c}$ variorum Hæreticorum vindicaret, nec non Syncretismum Calvinianum in articulo de Personâ Christi profligaret. In Philosophicis moderatores habuit *Dn. D. Eichstadium*, cuius magisterio & scholis in studio Astronomico, Chronologico, aliisq; laudabiliter


pro-



profecit, sub cuius etiam præsidio Disputatio ab ipso habita de vero Anno & die
Passionis Dominicæ, Dn. D. Dan. Lagum & M. Henricum Nicolai &c. Post ex-
actos in hoc laudatissimo Φεγυτισηριω tres & quod excurrit annos, visitatamq; ve
Academiam Regiomontanam, & hanc nostrā Wittebergensem, Lipsia Dn. Candi-
datum nostrum exceptit, in quā per aliquod tempus substitutus augendorum profe-
ctuum causā, quam intentionem adsecutus est beneficio Dn. D. Hülsemanni, Dn.
D. Geieri, Dn. D. Carpzovii & Dn. D. Kromayeri, Theologorum summerum, & de
Ecclesiā Christi excellentissimè partim meritorum, partim adhuc (utinam diutissi-
mè!) merentium à qvorum ore assiduè pependit & à qvibus SS. Theologiam fe-
liciter hausit. Tandem Argentoratensem quoq; salutavit Academiam, qvò al-
lexit Eum fama Dn. D. Schmidii, Dn. D. Dorschei & Dn. D. Dannhaweri, nobilissi-
mæ Theologorum Trigæ, à qvibus non solum humanissimè exceptus & beni-
gnissimè adjutus, sed etiam fidelissimè in publicis, privatisq; Lectionibus in-
formatus fuit, usq; dum Patriam repetendi paternum mandatum ipsi necessita-
tem imponeret. Redux varias perlustravit Urbes, Basileam, Constantiam, Ul-
mam, Ingolstadium, Ratisbonam, Vienam &c. Parentem optimum, domum,
reversus, senio, laboribus, curisq; confectum reperit, cui gravi insuper mor-
bo oppresso paucis à reditu interjectis hebdomadibus in Officio Ecclesiastico
substitutus datus est, quam spartam in pago Dumslaviensi, non procul Uratisla-
viâ, Urbium Silesiæ Coronâ, distante exornavit, tantisper, dum ipsum cum Pa-
rente grandævo sedibus Pontificia persecutio expelleret. Sed cura fuit Domino
de hoc fidelissimo Ανολάθω & servo suo. Cum enim Uratslaviam (qvæ jam
olim in eam prudentiæ, moderationis, ac pietatis famam provecta est, ut Sigis-
mundi, Caroli IV. Filii, elogio dicta fuerit *Regula morum, exemplar & speculum*
modestie, humanæq; vitæ splendidum jubar, teste P. Bertio Commentar. Rerum
German. Libro III. de Urbibus Germ. in Wratislavia pag. 319.) se conferset,
Nobilissimus ac Magnificus Urbis jam laudatæ *Senatus ad Pastoratum Polo-*
nicum ad D. Christophori primū, deinde ad Diaconatum Elisabetanum
Ipsum promovit, qvibus muneribus, illo quidem per quinquennium, hoc au-
tem per annos ipsos octo, ita functus est, ut nullâ eorum parte fidem,
industriam & prudentiam suam pateretur desiderari. Anno clo lce LXVII.
Ecclesiastæ in supra dictâ Æde sacrâ, & SS. Theologiæ, ac He-
breæ Lingvæ Professoris in Gymnasio Elisabetano Provincia cunctis suffra-
giis ipsi assignata est. Sed non substitut h̄ic favor divini Numinis ac laudatissim⁹
Magistratus. Cum enim *Vir admodum Reverendus, Amplissimus & Clarissimus*
Dn. M. Michael Hermannus ad D. Elisabetæ Pastor primarius, ceterarumq; Eccle-
garum & Scholarum Inspector, nec non Consistorii Assessor, beato suo ex hac æru-
mnosa

mnosâ vitâ discessu locum suum vacuum fecisset, Plurimum Reverendus Dn. Candidatus noster propter pietatem minimè fucatam, solidam eruditionem, vitam inculpatam, prudentiam singularem, summam animi modestiam, aliaq; egregia dona in eum autoritate publicâ est electus. Non hoc nostrum tantum est de *Viro Dei nobis dilecto* judicium, ne quid affectui dedisse videamur, sed ipsius Magnifici Senatûs laudatæ Reipublicæ, qui, ut Systaticæ ad Facultatem nostram destinatae *Διαρρήση* habent, Eundem ob demonstratam in diversis Sacris, & Ecclesiasticis, ipsi creditis muneribus, ac functionibus eruditionem & diligentiam, tūm quod in doctrinâ pariter ac vitâ non Senatui modo, sed universæ Communioni Evangelicæ, se hactenus, ad *Δοκουλα* omnium probavit, dignum isto judicavit munere, adeoq; supremo Ecclesiarum & Animarum nostrarum Episcopo rem dirigente, ad istud subeundum, in SS. Trinitatis nomine, Solemni more vocavit. Quam amplissimam spartam ut eò majori cum dignitate sustinere posset, placuit Nobilissimo Senatui Uratislaviensi, ut Doctoris titulum ac honores ambiret & impetraret, & quidem in Cathedrâ B. Lutheri, ad demonstrandum *γνῶσιν* Lutheranum animum & in doctrinâ cum eo consensum. Cum itaq; sœpius laudatus Magnus ac Nobilissimus Ordo Senatorius id ipsum Nobis literis humanissimis significaret, ipseq; Reverendus per quam Dn. Candidatus noster modestè ac reverenter à Collegio nostro Theologico honores Doctorales peteret, tantum abest, ut parum volentibus Nobis sit, vel Voluntati Illius obsequi, vel Hujus honestæ petitioni locum relinquare, ut potius gratulemur Nobis oblatam occasionem, officii ac honoris quidam in Eos conferendi. Præsertim cum dignissimum judicemus Dn. *Acoluthum*, cui summus in Theologiâ honor conferatur. Quid ergo felix, faustu & Ecclesiæ salutare esse velit ac jubeat Deus Opt. Max. lubentes Eum admittimus ad cœsveta Candidatorū Theologiæ *διοκήσια*. Horum verò initiū cum Cras, Deo clementer annuente, horâ IX. à dissertatione publicâ & Lectione, quam vocant, Cursoriâ, (in quâ *Psalmum XXIII. Sacrum illud pastoritum Carmen*, consilio & jussu Facultatis nostræ explicabit) facturus sit, Magnif. Dn. RECTOREM, omnesq; Academiæ Proceres ac Cives ad hunc solennem actum decenter, officiosè & amicè hoc programmate invitamus.

Publicatum Wittebergæ sub sigillo Facultatis Theologicæ, Domini
nica Vocem jucunditatis Anno Domini
M. DC. LXIX.



Ung. VI 58 (A)

ULB Halle
002 686 287


3



56,

VDI 7
Sep. 2000 Pcl.





ICANUS
EOLOGICI IN ACA-
VITTEBERGENSI
ESANDREAS
NSTEDT,
PROF. PUBL. ET ELE-
M ALUMNORUM
PHORUS.

stem in Domino JESU!

VITTERBERGÆ,
LIS. Schmatz/ Academ. Typ.